

hunc mundum *clare & distincte*, vel tantum *clare*, *representare dicuntur*: quin & inter *intellectum diuinum* & primæ speciei *simplicia*, siue principia *extensionis* & omnium mundi corporum, quæ ex hypothese hunc mundum *obscure & sine distinctione representant*. Vnde patet, quam sana & orthodoxa est *Cartesii* Philosophia, tam male sana, & neutiquam orthodoxa esse noua hæc philosophemata; simulque falso & fraudulenter *clar. Wolfium* ea vrgentem & promouentem prouocasse ad *Cartesii*, aut verorum *Cartesianorum* secum consensum, eorumque Philosophiam maxima iniuria affectisse, & orbem eruditum hoc obtentu fefellisse. Vide ipsius *Metaphys. §. 777.*

XXV. §. Denique, ne putetur, me Viris Clarissimis velle inuidiam facere, sed causam Dei & veritatis velle agere, dum viam, (quod conscientia mea mihi testatur,) si quoque ostendam, ex quo impuro fonte magnam partem (in quibusdam enim est dissensus,) hausta sint paradoxa, obscura & intricata hæc philosophemata, verbis quibusdam commutatis cum aliis æquipollentibus. Scilicet plurima desumpta esse ex *Spinoza*, ex collatione quorundam locorum manifestum euadet. *Eth. Part. 1. Propositio 16.* hæc est; *Ex necessitate diuinæ naturæ infinita infinitis modis (hoc est omnia, quæ sub intellectum infinitum cadere possunt,) sequi debent. Prop. 26. Inter rerum naturam nullum datur contingens; sed omnia ex necessitate diuinæ naturæ determinata sunt ad certo modo existendum & operandum.* Et *Prop. 33. Res nullo alio modo, neque alio ordine, a Deo produci potuerunt, quam productæ sunt.* *Part. 2. Prop. 13. Lemma 3. est: Corpus motum, vel quiescens, ad motum, vel quietem, determinari debuit ab alio, & illud iterum ab alio, & sic in infinitum.* *Part 3. Prop. 2. est: Nec corpus mentem ad cogitandum, nec mens corpus ad motum, neque ad quietem, nec ad aliquid (si quid est) aliud determinare potest.* In Scholio ait, quod mens & corpus vna eademque res sit, quæ iam sub cogitationis, iam sub extensionis attributo concipiatur. Et quod ordo actionum & passionum corporis nostri simul sit natura cum ordine actionum & passionum mentis. Hæc est ipsa illa *Harmonia præstabilita* sine vlla operatione vnius partis in alteram. *Part. 2. Prop. 23. est: obiectum ideæ humanam mentem constituentis est corpus.* Ergo mens humana est *idea*, quæ sibi corpus representat *Quidquid enim in obiecto ideæ, (sive corpore) humanam mentem constituentis, contingit, id ab*

ab